Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1825) Lisez 1525

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis disputationibus, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ Decembris.

M. ARMANDO JOSEPHO COLLOT, Doctore Medico, Præside.

An Temperamentum Melancholicum præstantius?

TEMPERAMENTUM hominis quatuor emergit ex humoribus, variè permistis, contemperatis; horum si quis exuperat, inde Temperamentum nominatur, sanguineum, si dominatur ea pars humorum, quæ sanguis audit; Pituitosum, si pituita; si bilis, Biliosum; si terrenus humor, Melancholicum. Utilissimus liquorum sanguis, sine quo, nec functionum perfectio, nec alimonia partium. Pars sanguinis tenuior, per cribrosam cerebri substantiam trajecta, fit origo spirituum; crassior abit in nutritionem corporis: utraque citiùs exolveretur, ni novâ chili materie repararetur: Hic ope fermentorum confectus ex cibis, repetito circuitu convertitur in sanguinem. Sic perenni liquorum motu fovetur vita, prorogatur, purpureusque latex pro diversitate molecularum quibus conflatur, variis nos afficit modis. Hinc Temperamentorum mira diversitas; sed hæc inter laudabilius, quod animo simul & corpori firmiorem conciliat sanitatem.

HOMO dissimillimis constat ex partibus, anima, corpore: illa cœlo, hoc parentum semini suam debet originem: utraque pars beneficio spirituum functiones vitæ perficit, si ritè conformata sint organa, temperata. Sic producit humanam felicitatem, sana mens in corpore sano. Is mentis integer, qui rationem sequitur ducem, sequitur & naturam; qui rebus in omnibus auream servat mediocritatem, vacat & animi perturbationibus. Viget is corpore, quiliberè respirat, sentit acutè, movetur expeditè, qui probè cibos concoquit, egerit excrementa, à morbis difficilè tentatur, facile resurgit: has dotes qui non laudaverit, optaverit, is mente laborat & corpore.

QUAMLIBET expende Temperiem. Sanguis ubi plurimus est, corpus paucis beat commodis, animum quadam tenùs affigit humi, mediocres excitat virtutes, urbanitatem, clementiam: sanguineos videas extemporaneæ subtilitatis homines, simplices, apertos; sed quàm proclives ad amorem, genio deditos, laboris impatientes! Biliosorum non minus infausta temperies: In iis qui turget humor, quam præposteros motus impertit animo, corpori! Iracundiæ, furoris, phrenitidis teterrima parens est, icteri quoque, phtiseos, dysenteriæ. Pituitosi quàm segnes, sommiculosi! quàm cogitatione tardi, graves sensibus, studiis inhabiles! eos quàm sæpè Paraliticos videas, Artrhiticos! his caret incommodis, cui Melancholica contigit indoles.

IN Melancholicis summa sunt omnia, valentissima: solidiori constant ex materie, numerosum venarum genus, arteriarum pulsatilis familia, nervorum animatæ phalanges, fibrarum funiculi, spiritus opifices functionum; Ossa quoque duriora sunt, pectus latum, firma latera. Cernitur & oris gravitas plena judicii, memoriæ; lingua parca, mens clausa, animus propositi tenax, rebus in arduis constantissimus, audax omnia perpeti. Alto corpore repostum manet humidum vitæ fomes, sanitatis. Viget in cerebro calor ad inventionem rerum, durat ad perpensionem. Quandoque fiunt insolentes illæ mentis agitationes, ἐκπλήξεις, quas admirari faciliùs est quam enodare; fiunt & ingenia rerum sublimium comprehensione quasi δαιμονιώτερα.

PRÆSTANT itaque Melancholici cœteris hominibus; nutriuntur meliùs, rariùs ægrotant, diutiùs vivunt; si se dederint artibus, mirum, quos illi progressus habuerint! quàm summi oratores evaserint, Poëtæ, Medici! quantum floruerint in rebus bellicis, Mechanicis! Ad difficillima quæque semper attenti sunt, nec tam facti, quam nati; nec unquam minùs ociosi, quàm cum ociosi sunt. Quod biliosus homo, pituitosus, quod sanguineus vix attingit, id assequitur, peragit Melancholicus. Felix igitur Melancholica constitutio, firmissimæ sanitatis parens, perficiendis corporis & animi functionibus accommodatissima, prorsus Athletica est, Heroica, Regia.

Ergo Temperamentum Melancholicum præstantius.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Michaël Sauvalle.
M. Ludovicus Piquenot de Dragueville.
M. Claudius Burlet, Scholarum Professor.
M. Alexander-Petrus Mattot.
M. Claudius Bourdelin.
M. Joannes-Franciscus Foy-Vaillant.
M. Germanus Preaux, Professor Regius.
M. Petrus Daquin, Medicus Regis ordinarius.
M. Joannes Cordelle.

Proponebat Parisiis PHILIPPUS BERNARDUS DE BORDEGARAYE, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.